

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Propterea ante omnia operam demus, ut vestem nuptialem nobis acquiramus. Homini inter alia vestimentum quoque necessarium est, Sir. 40. v. 31. Sed multo magis indigemus vestitu spirituali, sine qua velut indigni hospites obmutescere cogimur, quando Rex intrabit, ut videat discumbentes, sine fide enim impossibile est placere Deo, Hebr. 11. v. 6.

Vestitus corporalis gaudium affert, sicut videmus in Joseph, cui pater ejus fecit tunicam polymitam, Gen. 37. v. 3.

Vestis nuptialis multo magis. Hac enim amictus, cum Esaiâ dicere potest: Gaudens gaudebo in Domino, Es. 61. 10. Hoc gaudium nunquam tolletur ab eo, Joh. 16. v. 22.

Vestitus corporalis regit nuditatem & pudenda, ideo Deus Protoplastis fecit tunicas pelliceas, Gen. 3. 21. Sed vestis nuptialis multo magis. Animam enim ornat, & nuditatem interiore operit, Apoc. 3. 17. ut nemo nos propterea accusare possit, Rom. 8. 3. 3.

Vestitus corporalis contra gelu & astum corpus munit, ideo Paulus ad Timotheum scribit, ut penulam afferat, 2. Tim. 4. v. 13. Vestis nuptialis multo magis: hac enim munimur, ne caritas frigescat in cordibus nostris, Matt. 2. 4. 12. & neque ira Dei, neque æstus tribulationis nos consumere possit. Fide justificati pacem habemus, Rom. 5. 1.

Vestitus corporalis in morte deponendus est: Nihil enim intulimus in hunc mundum, 1. Tim. 6. v. 7. Sed vestem nuptialem veri Christiani mundo efferunt, in eamque comparent coram tribunali Christi, velut in capsulis aureis, quibus Regi suo placent, ut concupiscat pulchritudinem eorum, Pl. 45. 14. In hac veste pueri brevi consummantur, Sap. 13. senes ut aquilæ renascuntur, Pl. 103. 5. In hoc amictu infirmi virtute instru-

untur, 2. Cor. 12. 9. inopes ditescunt, Pl. 4. 8. & moribundi in pace decedunt, Luc. 2. 29. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo: Etiam, dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos, Apoc. 14. v. 13.

De Secundo

Aggrediemur nunc ad alteram partem, *αγγελοσ οὐρανου* live notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis contemplandus proponitur.

1. *Tanquam sponsus noster laudatissimus.* Simile enim factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Hac spiritualis desponsatio est, inter Christum & Ecclesiam, de qua ipse ait: Sponsabo te mihi in sempiternum, Os. 2. 20. Et Paulus ad Corinthios scribit: Despondi vos uni viro, 2. Cor. 11. 1. Hæc omnia illa N. T. dicta pertinent, in quibus Christus sponsus & Ecclesia sponsa dicitur, Es. 62. 4. Matth. 25. 1. Joh. 3. v. 29. Apoc. 19. 7. c. 21. 2. & 22. v. 17.

Hoc non abs re sacramentum magnum est, uti Paulus appellat, Eph. 5. 22.

Alias in Proverbio dicitur: Similis simili gaudet, quod & in conjugio contrahendo observari debet, juxta illud: Si quæ voles apte nubere, nube pari, Sir. 13. 19.

Sed in spirituali hac desponsatione Christi & sponsæ ejusdem contrarium planè reperitur. Sponsus est *Formosissimus*, Pl. 45. 3. sed sponsa deformis maximè est, plena vulnerum & livorum, Esa. 1. v. 6. Sponsus est *potentissimus*, Matth. 28. v. 18. Eph. 6. v. ult. ideo vocatur heros, Pl. 45. v. 4. sed sponsa est impotentissima, ut nihil ex seipsâ valeat, nisi remissæ manus, & soluta genua erigantur, Hebr. 12. v. 12.

Sponsus *dirisissimus* est, quem pater ejus constituit heredem univerforum, Heb. 1. 2.

Hagg. 2. v. 9. Sed sponsa est misera & miserabilis, & pauper & cæca & nuda, Apoc. 3. v. 17. Non enim homo potest accipere quicquam, Joh. 3. v. 27.

Sponsus est *humanissimus*, in cuius labiis gratia diffusa est, Psal. 45. v. 3. & loquitur meras rosas, & merum mel, Cant. 5. v. 13. At sponsa improbissima est, cujus os plenum fraude, maledictione & dolo, sub lingua ejus labor & dolor, Psal. 10. v. 7.

Sponsus tandem est *fidelissimus*, nec mutatur, Mal. 3. v. 6. sed permanet, Psal. 102. v. 27. & custodit veritatem in seculum, Psal. 146. v. 6. Sed sponsa est generatio mala & adultera, Matth. 12. v. 39. quæ sicut fera in desiderio animæ suæ anhelat, & cum mulis fornicatur, Jer. 2. v. 24. c. 3. v. 1.

Spectate dilecti! nonne hi cælo distant! Quod si sponso volupe fuisset, facile sibi elegantiore & nobiliore sponsam querere & invenire potuisset in cælo, inter Angelos & Archangelos: sed amor eum constrinxit, ut ad patrem suum, velut Samson dixerit: Hanc mihi accipe, quia placet oculis meis, Jud. 14. v. 3.

Hæc omnia nostro bono facta sunt. Quemadmodum enim sponsa per vinculum conjugale cum sponso suo velat unum corpus fit, & venit in communionem nominis, honoris & bonorum ejus. Uxor tamen quidem coruscet radiis mariti, velut Luna radiis solaribus. A Christo enim denominamur Christiani, Act. 11. v. 26. Et quia filius Dei est, nobis quoque potestatem dedit filios Dei fieri, qui credimus in nomine ejus, Joh. 1. v. 12. Quia Rex noster & summus Sacerdos est, nos quoque Reges & sacerdotes Patri suo fecit, Apoc. 1. v. 6. Quia justus est: nobis quoque de justitia sua communicat, ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16, Quia

mortem, peccatum & Diabolum superavit, nos quoque victoriâ hæc fruimur, & longè vincimus per eum Rom. 8. 37. Quia tandem Dominus est super omnia, Hebr. 1. v. 2. nos quoque Dei hæredes & sibi cohæredes facit, Rom. 8. 17. Tandem nuptiæ & domi ductio sequetur, ubi Christus omnem aquam tribulationum, quâ hic copiosè potati sumus, Psal. 80. 6. mutabit in dulcissimum vinum refrigerii, Joh. 2. v. 8. ut omnium miseriarum oblitus, gavisuri & exaltaturi simus, in his, quæ creabit Dominus, Es. 65. 17.

II. *Tanquam curator nuptiarum fidelissimus.* Etsi enim sponsus est, cui Rex nuptias fecit, attamen & hoc nobis constat, quod opera Trinitatis ad extra sint indivisa. Ideo non repugnat, quò minus & sponsus & curator nuptiarum sit. Hoc postremum facit bifariam:

I. *Servorum emissione*, misit enim servos suos. Per hos intelliguntur omnes fideles Pastores, & Verbi ministri, ab exordio mundi, qui magno studio & fervore homines ad nuptias has invitarunt: Sed plerumque illi contumeliis affecti sunt: quod grande peccatum est, ut suprâ memoravimus, ideoque declinari debet.

Cum Haman à Regina Esther ad epulas invitatus esset, magno id sibi ducebat honori, Esth. 5. 12. Quanto magis nos ex animo latemur, quod Rex Regum homunciones nos adeò dignatur, & per ministros suos ad nuptias filii sui vocat. Beatus ille! qui ad vocationem hanc comparet, quo illi cum gaudio hoc faciant, & non gementes, Hebr. 13. v. 17.

Cum Absolon indignationem Parentis sui incurrisset, Joabum ablegabat, qui illum patri suo conciliaret, antequam id fieret, vi-ta ei acerba erat, 2. Sam. 14. 1. seqq.

Et nos quoque per peccata Deû offendimus:

sed

sed nemo inter nos fuit, qui de reconcilia-
tione cogitaret, quin potius thesauri-
zabamus nobis iram Dei in die iræ, con-
tinuatione peccatorum, Rom. 2. v. 5. Psal.
12. v. 2. 3.

Nihilo minus gratiam impetravimus,
à Deo: & ubi nostri officii fuisset, ad De-
um mittere, ejusque gratiam petere: ille
ad nos mittit, & obsecrat nos, ut recon-
ciliemur sibi, 2. Cor. 5. v. 20. hæc gratia
præveniens est, qua nos visitavit oriens ex
alto, Luc. 1. v. 78.

2. *Lauta instructione.* Omnia enim
parata sunt, ut possimus comedere abs-
que argento, vinum & lac. Esaiæ. 55.
vers. 1.

Parata est *dilectio Dei patris*, quæ tanta
in epulis his cœlestibus comparet, ut
etiam proprio filio non pepercerit, sed pro
nobis omnibus tradiderit illum, Rom. 8.
v. 32.

Parata est *satisfactio Filii*, qui tradidit
semetipsum pro nobis oblationem & ho-
stiam Deo, Ephes. 5. vers. 2. & propitiatio
factus pro peccatis nostris, 1. Johan. 2.
v. 2.

Parata est *concio verbi divini*, ad poeni-
tentiam & remissionem peccatorum in
omnes gentes, Luc. 24. vers. 47. qua fi-
des in cordibus hominum accenditur, Rom.
10. v. 17.

Paratus est *Baptismus*, quo renascimur,
& ex filiis iræ, Ephes. 2. v. 3. filii Dei &
cohæredes Christi efficiuntur, Rom. 8. v. 17.
sine quo in regnum Dei venire non possu-
mus, Joh. 3. v. 5.

Parata est *absolutio*, ubi peccator resi-
piscens solatio se reficere, & omnium pec-
catorum remissionem impetrare potest,
Joh. 29. v. 23.

Paratum est *salutare viaticum in sacra-
cena*, quo nos ultimo itineri ad cœlestem
patriam accingere possumus, nempe com-
municio corporis & sanguinis Domini nostri
Jesu Christi, 1. Cor. 10. v. 16.

Paratum denique est *pignus & arrhabo
salutis nostræ*, nempe Spiritus Sanctus,
Ephes. 1. vers. 14. qui sublevat infirmita-
tem nostram, & testimonium reddit
spiritui nostro, quod sumus filii Dei, Rom.
8. v. 16.

Quia igitur hic omnia parata sunt, ut
non destituamur omni bono, Psal. 34. v. 11.
Ideo dimitte mundum & concupiscentiam
ejus, 1. Joh. 2. v. 17. nec sequimini principem
ejus, Diabolum, quando vos invitat pro-
missione divitiarum, gloriæ aut volupta-
tum hujus mundi, omnia enim illa transito-
ria sunt, 1. Joh. 2. v. 17. & animam exsatu-
rare non possunt. Potius, quia omnia pa-
rata esse audimus, & nos paremus, ut cum
virginibus prudentibus intremus ad nupti-
as agni, Matth. 25. v. 10.

III. *Tanquam ultor contemptorum severis-
simus.* Duplex enim hic pœna exprimitur:

1. *Temporalis* rex enim iratus est, & missis
exercitibus suis, perdidit homicidas illos, &
civitatem illorum succendit. Id Deus
non modo in Judæis ita implevit, quorum
civitatem Hierosolymam in toto Oriente
florentissimam, cum templo funditus de-
levit, eorumque regionem devastavit, Luc.
19. v. 44. Sed & in nostra dilecta Patria, &
alibi, quo ipso probavit, se esse fortem zelo-
tem, Exod. 20. v. 5.

2. *Eternalis*, quæ adumbratur in eo,
qui caruit veste nuptiali,

1. *Per manuum & pedum ligationem.*
Sicuti enim malefici, catenis constringun-
tur: sic & impii, in singulis membris cate-
nis.

nis igneis constringentur, & sic exquisitis doloribus afficientur.

2. *Per violentam exturbationem, quæ describitur:*

1. *Ratione termini à quo*, qui est domus nuptialis: Mittite enim, sive extrudite eum, inquit Rex, indignus est, qui epulo nuptiali fruatur. Sic damnati à facie Dei, & sanctorum Angelorum, omniumque beatorum abijcientur consortio. Sicut igitur juxta Augustinum, *visio Dei est tota vista æterna*. Sic juxta Chrysostomum: *Deum non videre superat omnia gehenna supplicia*.

2. *Ratione termini ad quem*, quæ erunt tenebræ exteriores. Cum hish. l. infernus comparatur

1. *Ratione mæroris*. Quemadmodum enim lux lætitiã affert: sic contra tenebræ tristitiã & mærorem. Tob. 5. v. 12. In inferno igitur nil nisi dolor & mæstitudo erit. Ideo dicitur de impio: Non videbit lumen in æternum, Psal. 49. v. 20.

2. *Ratione doloris*. Si quis tenebricoso carceri in clusus est, in multo majori dolore versatur, quam si lucis usura fruatur: Exquisitissimis igitur doloribus subjecti erunt damnati, quando in carcere tenebricoso inferni non diem, non septimanam, non mensem, aut annum sed in æternum degent. Neque enim flamma infernalis illuminare poterit noctem illam horrendam, Sap. 17. v. 5. sed quando mane veniet, & nox erit, Esa. 21, 11.

3. *Ratione erroris*. Hinc dicimus: Nox

nemini amica. Sicut legimus de Ægyptiis quod in triduanis illis tenebris, personæ tristes illis apparuerint, quæ pavorem illis præstiterunt, Sap. 17. v. 4. Multo magis id fiet in tenebris infernalibus, ubi diaboli in horribili larva damnatis horrorem incutient, ut montibus dicturi sint: Cadite super nos, Apoc. 6, 16.

3. *Per fletus & stridoris significationem*. Fletum efficiant, cum dolores exquisitissimi, quibus excarnificabuntur, Esa. 66. vers. 14. tum consideratio temporis gratiæ, quam malitiose neglexerunt: quin & æternitatis, qua pœnitentiæ & fores gratiæ ipsis interclusæ sunt: Ex inferno enim nulla redemptio, Psal. 49. v. 15.

Stridor vero dentium non modo veniet à male feriata conscientia, quæ terrorem ipsis incutiet, Job. 15. vers. 20. sed & ab immenso frigore, quo per vices velut in febricitantibus fieri amat, infestabuntur, hinc dicitur de damnatis, quod commanducaturi sint linguas suas, præ dolore, Apocalyps. 16. vers. 10. Hoc probe meminimus, quo in tempore gratiæ, vera veste nuptiali, innocentæ & justitiæ Domini nostri Jesu Christi nos exornemus, ne obmutescamus, cum Dominus intrabit ad visendum convivias, sed digni inveniamur, stare coram filio hominis,

Luc. 23. vers. 36. Cui sit laus & gloria in æternum, Amen.

* *
* *